

rit ad dextram, in quo tabula erat marmorea, quam tollebat sacerdos, & pulverem sub illa tabula acceptum aquæ injiciebat, deinde absynthium, vel aliquid aliud, unde amaræ redderentur, cum iis conjungebat.

§. 2.

In eadem imagine, nec altare nec labrum suis ponuntur locis, ad Hebræorum mentem, sed prout ei placuit, qui æri incidit.

Hæc in præsens dixisse de imaginibus Hebræarum rerum sufficiat. Si enim singulas persequi imagines vellemus, multa adhuc de structura tabernaculi Mosaici attingi debuissent, v. g. delineatur tabernaculum Mosaicum quinque vectium exteriorum ordinibus, qui multis annulis inseruntur, cum tamen ex Hebræis constet, vectes superiores & inferiores tantum fuisse annulis insertos, vectem autem medium transisse perforatos asseres, & sic intra asseres fuisse. Videatur *Jarchius in Exod. 26*. Sed hæc & alia ejusmodi alio excutientur tempore. Quæ autem hic excussimus, sine ullius læsione solius amore veritatis in medium protulimus, ne illi, qui imagines Hebræarum intuentur rerum, falsam pro vera arripiant; neq; librorum autores propterea accusantur, si aliqua in imaginibus non recte se se habeant, cum forsitan chalcographi suis indulserint ingeniis, vel secure secuti aliorum imagines non illas censuræ literariæ subjece-
rint, & sic errores facile irre-
pferint.

T A N T U M.

Coll. diss. A. 24, misc. 35